

exemplum præberet: Multæ amicitie absentia perpetua amicorum dissolutæ sunt & obliuione prorsus deletæ: Quid enim amicus prodest alteri, cui nunquam adest? Quid frater fratri, quo carere cogitur in necessitate? Literis quidem inter absentes fieri colloquium potest, & absentia mutuæ remedium, at nescio quid sermo loquentis, oculi, aures, manus amici peculiaris efficaciam habeant, præ mutis & surdis chartis, quæ nec responsum dant quærenti, nec se interdum satis explicat, vt viua vox vtrunque desideretur.

Hac de causa voluerunt quoque Fratres R. C. vt ad minimum semel in anno omnes vno in loco conuenirent, ne semper dispersi sui instituti immemores eua-derent: Quæ lex vt tertia est in serie, sic dignitate; qua Synodus vere Pythagorica quotannis indicitur: Conueniunt enim in ea philosophi antiquis neutiquam cedentes doctrina, rerum naturalium & admirabilium experientia, virtute & morum modestia, qui non de numero filiorum Niobes aut simili materia differentes diem terunt, sed abdita nature myste-

I 5 . ria,